

*mam producit ab authoritate, & concordi omnium consensu, quem dum solo verborum crepitu, eoque incondito, incongruo & barbaro, crepat: interea non unicum quidem autorem producit & nominat: nisi omnes illos intelligamus in uno Raimundo absorptos esse, ac unicum Raimundum esse instar omnium.*

*Hinc ad alteram rationem progreditur, quam sumit à sensu oculorum, quòd nimirum appareat eam stellam talem locum & situm tenere in cælo, qualem habet ipsa undecima Cassiopeæ, distarèque à polari perticis sex. Quæ ratio nil probat. Non enim omnia quæ oculorum sensus iudicat esse vera, ratiocinatio & demonstratio vera esse agnoscit. Oculi iudicant Solem esse instar orbiculi parvi, cùm maior sit terra centies sexagies sexies. Mala igitur consecutio. Apparet aspectu eum locum & situm tenere, distarèque à polari stella perticis sex: ergo verum est. Nam non solam intuitionem afferre debuit Raimundus, sed organis Astronomicis diligenter dimetiri stellarum distantias: ostenderèque, eas vel veterum observationi congruere, vel ab eisdem discrepare: quorum cùm nihil à Raimundo sit factum, facilè apparet quàm procul à veritatis scopo declinauerit. Sed præter ista, eodem in loco, etiam eo se ipsum fore exprodit, quàm sit egregius Astronomiæ artifex: quòd perticis cælum se dimetiri posse existimat.*

*Tertiam denique rationem hanc adducere videtur: quòd, præter illam undecimam, exceptis quarta & duodecima Cassiopeæ, nulla alia in cælo satis longa distantia datur: eamque iterum solo intuitu comprobare nititur. Ve-*